nempe justitiæ, tranquillitatis animi, unionis cum Deo, dilectionis erga Deum & proximum, victoriæ de satana, mundo & carne, è quibus tanquam propriis fructibus dignosci potest: incredulitas verò est fons & origo omnis mali, hominem excusso Deo conjungens cum Diabolo & impellens ad amorem Diaboli, mundi & carnis, nunc ad securitatem peccandi, nunc ad desperationem, ac ad certum denique exitium.

A fide elt 1. vera justitia, *Rom. 3. v. 22.* 2. tranquillitas conscientiæ, *Ps. 62. v. 1. Rom. 5. v. 1. 3.* unio cum Deo, *Ps. 23. toto. 4.* dilectio Dei & proximi, *Psa. 18. v. 42. 73. Exod. 32. v. 11. 12.* Incredulitatis verò fructus vide *Joh. 8. v. 37. 38 44. 45. 47. Tit. 1. v. 15. 16. Joh. 3. v. 19. item 18. v. 36.* Vide Joh. Ball *tractatu de fidei natura editore G. Stresone pag. 93. & 117.* ubi plures Theologos laudat, qui hoc argumentum illustrarunt. Cæterum, quicquid scriptura de fide prædicat, id in te, Christiane, quisquis es, miles & viator, tandem aliquando pro ætate & mensura doni tui sentias, aut fides tua, non fides, sed fidei idolum est.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM,

De fidei Christianæ consequentibus & effectis: ubi *de unione fidelium cum DEO, eorumq;* justificatione Euangelica.

Consequentia & effecta fidei Christianæ sunt unio fidelium cum Deo,